

possidentis, l. Si debitor. 10. ff. de Pignor. cum concordantiis. Quo non obstante.

105 Resp. In casu supra num. 103. non potest emptor rem alienam reddere furi, aut alii venditori ad hoc, ut ab eo iterum suum recuperet pretium; sed omnino tenetur eam restituere proprio domino; etiam si dominus vel ob ignorantiam, ubi res sit, vel aliunde impeditus, rem suam in foro externo non evincat, indeque restitutionem illius non petat, vel petens, defectu probationum non obtineat. Ita docent Molina Disp. 722. per totum, ubi n. 7. ait, hanc sententiam esse sane probabiliorum contraria. Covarruvias in Reg. Peccatum. p. 3. n. 3. ubi ait, conclusionem & rationibus satis firmam, & frequentissimam TT. ac Canonibus consentu receptam esse, Castro Palao de Just. commut. Disp. 1. Punct. 9. n. 7. Layman Lib. 3. Tract. 4. c. 17. §. 3. n. 24. Cajetanus, Soto, Medina, Major. c. cum communiore & probabiliori aliorum.

106 Probatur Conclusio. Certum est etiam juxta ipsos adversarios, quod si dominus sciens, quisnam rem sibi ablatam emerit, & de facto possideat, ab eo restitutionem petat, non possit emptor rem hujusmodi, furi tanquam venditori tradere, ut vicissim ab eo pretium recipiat, seque indemnem ferret; sed tenetur illam petenti restituere domino, ita quidem, ut si neglecto domino rem furi venditori traderet, contra justitiam peccaret, & ad restitutionem teneretur, atque ad eam faciendam etiam a Judice compelli posset, ac deberet; et si dominus pretium expensum, eidem non refunderet, cit. l. Mater. 3. l. Si mancipium. 23. C. de Rei Vendic. junctâ l. 2. C. de Furtis. ergo ad idem tenetur emptor rei alienæ, licet dominus ob ignorantiam, vel aliud impedimentum, id non petat, vel petere non possit: cum hoc profus per accidens le habeat, & obligatio restitutionis principaliter non ex petitione domini, sed ex ipso jure, quod ad rem suam dominus habet, oriatur, quo jure non subsistente, nec ipse justè petere, nec judex justè imperare posset restitutionem C. 1. de Constitut.

107 Confirmatur: si emptor vitandi proprii damni causa, verum jus haberet, rem alienam emptam iterum restituendo injusto venditori, sequeretur, quod nullatenus peccaret, etiam si id sciente ac expressè contradicente rei domino faceret; imò non posset à domino vel Judice impediri, nec prohiberi, & si prohiberetur, non teneretur obedire, hoc ipso quod utens jure suo nulli faciat injuriam, C. cum Ecclesia Vult. 21. de Elect. atqui sequela est contra ipsos adversarios, qui uno ore fatentur, quod domino rei suæ restitutionem petente, vel judice eandem mandante, Emptor non amplius possit eam pro recuperatione pretii reddere injusto venditori; ergo.

108 Confirmatur ulterius; qui disponit de re aliena cum præjudicio aut damno Domini rationabiliter invitit, injustè agit, & ad restitutionem tenetur, et si hoc faciat damni proprii vitandi causa, juxta omnes, arg. c. fin. de Injuriis, & damno dato; atqui hoc agit emptor, restituendo rem alienam emptam venditori, qui eam domino non amplius restitutus dignoscitur; id enim faciendo revera disponit de re aliena cum damno domini, & quidem rationabiliter invitit, hoc ipso, quod, si sciret, certè ac rationabilissimè, uti posset, contradiceret; ergo. Nec refert, quod ob ignorantiam actu non contradicat; quia nihilominus verè adhuc & ad propositum sufficienter est, censetur, ac dicitur rationabiliter invitus, sicut quoad factum censetur, & est rationabiliter invitus dominus, et si, dum factum committitur, ob ignorantiam actu non contradicat. Et per hoc patet ad fundamentum adversariorum num. 104. positum.

109 Ad id, quod probationis loco additur, videlicet neminem teneri cum proprio damno proximum ad meliorem statum redigere, optimè respondet Molina lo.

cit. n. 3. concedendo quidem, neminem cum proprio incommodo teneri, rem alienam redigere in meliorem statum, ac fuit is, quo quis rem alienam accepit; negando tamen, posse aliquem rem alienam extrahere ex illo statu, quo eam accepit, ac in priorem cum damno ac injuria domini rationabiliter invitit collocare, arg. cit. c. fin. de Injuriis & damno dato, quod faceret emptor restituendo rem alienam venditori, prout consideranti patet.

Confirmatur hæc Molina responsio. Si præfatum 110 adversariorum fundamentum subsisteret, sequeretur, quod etiam male fidei emptor rem alienam iterum posset restituere injusto venditori, & ab eo exigere datum pretium, quia iste rem alienam in antiquum collocaret statum, ad quod solum quis obligatur juxta adversarios; atqui sequela est juxta ipsos adversarios ultro concedentes, malæ fidei emptorem, id est qui scienter emit rem alienam, non posse eam reddere venditori, sed debere restituere domino, uti videre est apud Lessium, Navarrum, & alios, lo. cit.

Fatendum tamen cum communissima DD. posse 111 bonæ fidei emptorem, vitandi proprii damni causa, iterum restituere venditori, quando prudenter judicet, nullum inde damnum secuturum domino, eod quod venditor ipsemet sponte sit restitutus, vel dominus ab eodem rem suam facilius ac sine ullo incommodo obtinere valeat. Ratio est: quia in hoc casu dominus rationabiliter invitus esse non potest, prout cum aliis bene advertit Molina lo. cit. n. 1. dicens in hoc convenire DD.

Insuper conveniunt DD. teste eodem Molina lo. cit. 112 n. 3. Covarruvias ad Reg. Peccatum. p. 3. n. 3. quod, si bonæ fidei emptor, rem alienam pro recuperatione pretii bonæ fidei jam iterum restituerit venditori, putans id sibi licere, postea ad nullam amplius restitutionem domino faciendam tenetur; et si domino damnus exinde sequatur, venditore vel aufugiente, vel aliis restitutionem rei non faciente. Ratio est; quia in hoc casu nullus adest videtur titulus obligans ad restitutionem. Non enim obligaretur emptor ad restitutionem ratione injustæ acceptationis, cum bonæ fidee acceperit: nec ratione injustæ detentionis, quia rem non amplius habet nec injustæ damnificationis, quia bonæ fidee processit: nec denique adest videtur, quod exinde dicitur factus sit; quia supponitur, eum non nisi solum pro re expensum recepisse pretium.

Ob eandem rationem ulterius conveniunt DD. apud 113 Covarruviam lo. cit. Layman lo. cit. n. 25. Sylvester §. Restitutio. 3. q. 7. Sanchez lib. 2. c. 23. nu. 18. quod, si Cajus v. g. equum, quem à fure bonæ fidee emerat, rursus fide bona vendat Titio, postea comparans dominus, nihil à Cajo prætere de valeat, sed à Titio; qui tamen Titius equo per evictionem privatus, actionem de evictione contra Cajum, & hic contra furem, primum venditorem instituire potest, arg. l. Ex empto. 11. §. 1. & 2. ff. de Action. Empti. Quid autem sit evictio, & actio de illa, dicitur infra per specialem §. de Evictione.

Quæritur IV. Quid Juris, si fur pecuniâ furtivâ, 114 vel quis alius pecuniis alienis rem aliquam, equum, v. g. domum &c. emat? Resp. I. In hoc casu rem nummi alienis emptam, una cum omnibus fructibus ex ea perceptis transire in verum dominum emptoris: venditorem verò non acquirere dominium pecuniæ alienæ, sed teneri eam comparati domino restituere nisi eandem jam præscripsisset, vel bona fide expenderit, vel propriis pecuniis ita commiscuerit, ut discerni amplius nequeat. Prima pars conclusionis communis est ac certa textu expresse l. 1. & penult. C. Si quis alteri. ibi: Qui aliena pecuniâ comparat, non ei, cujus nummi fuerunt, sed sibi tam actionem empti, quam dominium, si eis fuerit tradita possessio, querit. Concordat l. Si ea pecunia. 6. C. de Rei vendic. Excipiunt tamen, si quis

si quis pecuniis Ecclesiasticis rem aliquam emeret; hujus enim dominium emptor non acquireret, ob specialem Juris dispositionem, can. 1. can. 12. q. 3. & ibi Glossa §. Svo. Notat etiam Conclusionem docentes, D. Thomas 2. 2. q. 78. a. 3. Molina Disp. 127. Concl. 2. Covarruvias Variar. Resolut. lib. 3. c. 3. num. 6. Layman lo. cit. num. 22. non obstante rei emptæ dominio manere firem obligatum, ad refarciendum omne damnus, ac lucrum cessans tum illi, à quo abstulit; tum etiam Venditoribus, casu quo ab ipsis pecunia evincatur.

115 Altera Conclusionis pars aperte docetur l. Si alieni. 78. ff. de Solution. ibi: Si alieni nummi infcio, vel invito domino soluti fuerint, manent ejus cujus fuerint; si mixti essent, ita ut discerni non possent, ejus fieri, qui accepit. Nec obstat l. 8. Pomponius. ff. de Rei vendic. ubi universaliter præcipitur, ut, si plures ejusdem naturæ res commisceantur, quod amplius discerni nequeat, inter dominos pro rata dividantur. Nam ab lege excipitur mixtio pecuniarum, ob specialem Juris dispositionem, uti post Glossam in cit. l. Si alieni, cum aliis bene obliervat Layman lo. cit. nu. 23. contra Lessium cap. 20. dub. 18. n. 157. docente, mixtione pecuniarum, dominium non mutari, sed teneri miscentem, eandem restituere comparanti domino; cui cum DD. citatis consentimus in casu, quo pecunia aliena propriæ commixta, adhuc bene discerni potest, ut si pecunia aliena in auro, propria in argento; vel aliena in majori, propria in minori sorte consisteret, arg. cit. l. Si alieni, vi cujus tunc solum miscens pecunias, dominium alienorum nummorum acquirit; si mixti essent ita. ut discerni non possent; consequenter si discerni possent, aliter & juxta Legem universalem l. Marcellus. 3. ff. de Rei vendic. judicandum est; quo tamen in casu habet venditor actionem contra ementem. Cæterum pro praxi ex Conclusionem inferitur. Furem (idem est de Depositario) pecuniis alienis negotiantem & lucrantem, neutquam esse obligandum ad restituendum lucrum; nisi forsitan id exigeret lucrum cessans, vel damnus emergens domini, prout contra Glossam in c. Tua. Usur. bene ostendit Abbas ibid. num. 3. Molina Disp. 329. Layman lo. cit. n. 21. & alii.

§. V.

De Pretio rerum venalium.

SUMMARIUM.

- 116 Pretium rerum quid, & in quo consistat?
- 117 Est duplex, legitimum nempe, & vulgare.
- 118 Pretium vulgare triplex, infimum nempe, medium, & summum.
- 119 Quolibet horum utpote justo emere, vendere licet.
- 120 Non quolibet ad libitum, sed juxta tantum pretio emere ac vendere licet.
- 121 Obijciuntur textus Juris.
- 122 Solvuntur.
- 123 In foro externo toleratur deceptio Emptionis Venditionis, nisi sit ultra medium.
- 124 Parvus excessus vel defectus pretii justus, nec in foro interno illicitus est.
- 125 Imò nec magnus peccatus inducit, si ex parte alterius adst condonatio.
- 126 Excessus, vel defectus pretii ultra dimidium, Præsumptionem donationis in foro externo non admittit.
- 127 Merces raræ, gemmæ, v. g. aves Indicæ &c. vendi non possunt quovis pretio ad libitum.

- 128 Proponitur, & solvitur obiectio.
- 129 Pretium rerum augeri non potest, ob particularem utilitatem, necessitatem, vel affectionem amantis.
- 130 Res vilissimæ communiter magni æstimatæ, magno pretio vendi possunt.
- 131 Pretium justè taxatum, seu legitimum, obligat in utroque foro.
- 132 Etiam Clericos.
- 133 Qui transgressientes taxam, puniri possunt à Judice Ecclesiastico.
- 134 Peregrini quoque ad pretium taxatum tenentur.
- 135 Pretium injustè taxatum non obligat in foro interno.
- 136 Hinc absque peccato contrahentes illud transgredi.
- 137 Vel licita fraude per pondera & mensuras, justam compensationem facere possunt.
- 138 Etiam immiscendo mercibus aliam materiam.
- 139 In dubio, an pretium sit justum, præsumitur justum.
- 140 Unde si manifestè non constet, esse injustum illud transgredi non licet.

Quæritur I. Quid, & quotuplex sit pretium 116 rerum venalium? Resp. I. Pretium rerum venalium est, quod ab emptore venditori pro merce, seu re venali promittitur. Ita in re communis, arg. §. 2. Instit. h. t. Patetque definitio ex terminis; solummodo notanda est particula promittitur; quâ indicatur, non esse necessarium, quod illico detur, seu solvatur pretium pro merce, sed sufficere, si interim promittatur, l. 2. ff. de Contrah. Empt. Debet autem hoc pretium certum, ac determinatum esse, §. Pretium. Instit. h. t. & insuper in numerata pecunia consistere, l. 1. de Contrah. Empti. & §. Item. Instit. h. t. uti uberius jam dictum est supra n. 8.

Resp. II. Pretium generaliter loquendo, duplex 117 est, legitimum nempe, seu legale, & naturale, seu vulgare. Legitimum (à lege sic dictum) est illud, quod à lege publica, aut decreto Principis, vel Magistratu habente ad id potestatem ponitur, aut taxatur pro communi totius Reipublicæ bono. Expedi enim bono communi, ut subinde rerum certa statuantur pretia, sicque avaritiæ venditorum obvietur, ne res seu merces pro libitu vendant cum magno ementium, præsertim indigentium præjudicio. Quavis nonnunquam etiam in favorem ipsorum venditorum pretium taxetur, ne videlicet emptores, præcipue potentiores, res seu merces pretio nimis vili extorqueant, non sine magno venditorum damno. Ita quoad totam Conclusionem communiter tradunt DD. uti videre est apud Layman Lib. 3. Tract. 4. c. 14. §. 1. n. 3. Castro Palao de Instit. communiar. Disp. 5. punct. 2. n. 2. Less. lib. 2. c. 21. n. 7. Engel h. t. n. 4. Covarr. & alii docentque quotidiana praxis, quâ videmus, quod passim à Magistratu taxetur, seu certum ponatur pretium pro vino apud hospites, pro pane apud pistorum, pro picibus apud piscatores, pro carne apud laniones &c. quod pretium in indivisibili consistit, & transgredi regulariter non licet, uti infra dicitur.

Pretium naturale, seu vulgare est, quod absque 118 taxatione legis, aut superioris, communi ac prudenti hominum judicio & æstimatione mensuratur, consideratâ non solum ipsâ rei naturâ, sed etiam, ejusdem utilitate, vel necessitate, abundantia, vel penuria, ipsaque hominum affectione, arg. l. Pretia rerum. 63. ff. Ad leg. Falcid. Et quia hominum judicia non usque eo conveniant, quia aliqua etiam discrepantia interveniat, hinc hoc pretium non consistit in indivisi-



indivisiibili, seu in certa, ac determinata pecunie quantitate, uti in certa, ac determinata pecunie quantitate, seu legitimum, seu legale; sed habet quandam latitudinem; vi cuius idem pretium à citatis DD. & aliis communiter dividitur in infimum seu pium, in medium seu moderatum, & in summum seu rigorosum, vernacula lingua *In den geringsten, mittleren, und höchsten Anschlag, oder Lauff.* Quantum autem hæc tria pretii naturalis genera inter se dissent, ob varia hominum iudicia omnino certa & mathematica regula dari nequit. Engel h. t. n. 11. post Laym. putat, quòd, si res aliqua secundum medium pretium æstimaretur decem florenis, infimum pretium in novem, supremum verò in undecim circiter consideret florenis: Castro Palao iudicat; si res secundum pretium medium constaret centum florenis, tunc secundum infimum pretium quinquaginta & secundum supremum centum & quinque florenis æstimari deberet. Verum; uti dictum, non potest omnino certa ac mathematica regula assignari.

119 Illud tamen unanimiter fatentur Doctores, signanter Scotus in 4. dist. 15. q. 2. a. 2. Navarrus in Manual. c. 23. n. 7. Layman lo. cit. n. 4. quòd quàmvis limites pretii summi aut infimi non excedantur, Empio, Venditio in utroque foro sint iustæ, licet eadem res specifice ab aliis medio, ab aliis infimo, & à nonnullis supremo vendatur pretio; quia quòvis horum pretiorum adhuc iustum reputatur, & est.

120 Quæritur II. An licitum sit, quolibet pretio, pro libito vendere & emere? Resp. I. In foro conscientie non quolibet, sed iusto solum pretio, licitum est rem vendere, vel emere, ita quidem, ut si notabilis excessus, vel defectus iusti pretii interveniat, peccat contra iustitiam, & ad restitutionem teneatur emptor, vel venditor, ille quidem, si pretium minus iusto pro merce solvit; hic verò, si rem plus, ac valet, vendit; nisi ex parte illius, qui damnus patitur, liberalis adit donatio, aut remissio. Ita Communis, ac certa cum S. Augustino Lib. 13. de Trinitate. D. Thomas 2. 2. q. 77. a. 1. ad 1. Navarrus in Manual. c. 23. n. 84. Layman lib. 3. Tract. 4. c. 17. L. 33. ff. ad Leg. Aquil. L. 6. ff. ad Leg. Falcid. juncto c. 1. h. t. Ratio est: quia juxta l. Jure naturæ. 206. ff. de Reg. Jur. Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento, & injuria fieri locupletiorum. Unde & Paulus l. ad Thesal. 4. præcipit, ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum, vindex enim est Dominus de his omnibus. Accedit, quòd ubi non adhibetur iustum rerum pretium, violetur iustitia commutativa, quæ in contractibus vult, servari æqualitatem.

121 Nec valent in contrarium, qui adesse videntur, textus Juris l. In causæ. 16. §. 4. ff. de Minor. ubi Pomponius ait, in pretio Emptionis & Venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumvenire & l. Item si. 22. §. 3. ff. Locati. In emendo & vendendo naturaliter concessum est, quòd plus sit, minoris emere; quòd minoris sit, plus vendere, & ita se invicem circumscribere. l. In re mandata 21. C. Mandati, sue quisque rei moderator, & arbiter existit. Neque commune illud Jurisperitorum dictum: Res tanti valet, quanti vendi potest arg. l. 1. §. 16. ff. ad S. C. Trebell.

122 Nam ad primos duos ex L. 16. ff. de Minor. & L. 22. ff. Locati. desumptos textus respondetur cum Less. Lib. 2. c. 21. dub. 4. n. 13. Navarrus lib. 2. Variar. resolut. c. 3. n. 2. Reginald. Lib. 25. n. 309. & aliis, eos intelligendos esse in hoc sensu, videlicet, licitum esse contrahentibus, in Emptione, Venditione se invicem circumvenire intra limites iusti pretii, ita ut venditor rem summo pretio vendere, emptor vero infimo pretio emere possit: vel licitum, id est, permissum, seu toleratum est in foro externo contrahentibus se circumvenire quatenus nempe non puniantur circumvenientes, nec datur actio contra illos, nisi sit læsio ultra dimidium; prout respondet Molina Disp. 349. Castro Palao de Justit. Commut. Disp. 5. Punct. 17. n. 4. Lugo Disp. 26. n. 82. & alii; quia verbum licere, pro permittere in Jure aliquoties sumitur, juxta l. Non omne. 144. de Reg. Jur. ibi: Non omne, quòd licet, honestum est: id est, non omne quòd permissum est, honestum est. Eodem modo intelligendum est illud vulgare Juristarum: Res tanti valet, quanti vendi potest. Ad textum L. c. 12. Mandati. respondetur: Sux quisque rei moderator atque arbiter existit, in tantum, in quantum eam vendere potest, vel retinere, uti supra n. 29. jam diximus: non verò in tantum, ut eandem quovis excessivo pretio diltrahere valeat.

Dicitur notanter in conclusione: in foro conscientie; quia, uti jam dictum, & dicitur adhuc infra, in foro externo, licet, id est, permittitur, & toleratur, rem quovis pretio emere, vendere; dummodo ex parte alterius non fiat læsio, vel deceptio ultra dimidium arg. L. 2. C. de Restitut. vendit. juncto c. Cum dilecti. 3. h. t. ubi non nisi læsio ultra dimidium contra lædentes conceditur actio in foro externo.

Dicitur ulterius, si notabilis excessus, vel defectus iusti pretii interveniat; quia ubi modicus tantum excessus, vel defectus iusti pretii adest, etiam in foro interno validus, & licitus, nullique restitutioni obnoxius erit contractus Emptionis Venditionis; uti post Doctorem nostrum subtilem in 4. dist. 15. q. 2. a. 2. rectè docet Layman lo. cit. n. 6. & communis aliorum. Ratio est; quia tunc communi consensu censentur contrahentes sibi invicem gratis donare, & remittere; cum durum valde, imò vix non impossibile sit, exactissimam in contractibus servare iustitiam, & æquitatem. Hinc Layman lo. cit. tradit universalem, & à DD. communiter receptam regulam: In dubio est estimandum, quòd contrahentes invicem sibi remittere, & condonare velint si in contractu inæqualitas modica, & non admodum notabilis accedat.

Dicitur insuper: nisi ex parte illius, qui damnus patitur, liberalis adit donatio aut remissio. Hæc enim si adest, itidem in foro interno à peccato, & restitutionis onere immunem esse contractum Emptionis Venditionis, etiam si gravis interveniat inæqualitas mercem inter & pretium, probabilissimè defendunt Molina Disp. 351. Layman loc. cit. Ancharanus in Reg. Peccatorum. n. 21. Navarrus, Medina, & alii, arg. L. 2. C. de Rei vindicta. dummodo, quòd bene notandum, contrahentes, leant iustum rerum valorem, & neuter necessitate urgente, cum altero contrahat, omnique ab sit ignorantia, fraus, dolus, metus, violentia, nimis affectus, vel passio ementis; horum enim aliquo concurrente liberalis donatio præsumi prudenter non potest; bene verò si hæc absunt: uti citati advertunt Doctores, quos sequitur Lessius lib. 2. c. 21. n. 37. dicens, hanc præsumptionem donationis, seu remissionis vix locum habere, nisi inter consanguineos, vel si quis alteri specialiter affectus, & bene facere solitus esset: cum donatio præsertim inter extraneos non presumat, nisi per evidentia probetur signa, & alia interpretatio actus haberi non possit, Menochius de Arbitrar. Jud. cas. 88. n. 1. & 2. Pirhing h. t. n. 31. arg. l. Cum de indebito. 25. §. Si verò ff. de Probat.

Porro si excessus, vel defectus pretii est ultra dimidium, præsumptionem donationis in foro externo locum non habere, plurimi DD. acerrimè simul ac solite

solite defendant apud Covarruviam. Lib. 2. Variar. Resolut. c. 4. Plura eoque selecta de præsumptione donationis etiam congerit Menochius de Arbitrar. Jud. cas. 88. Verum de his infra Tit. de Donat.

127 Resp. II. Neque merces, seu res valde raræ, uti sunt raræ gemmæ, pretiosæ picturæ, aves Indiarum, peregrina animalia, aut venationi, vel aucupio valde apta, vel humanam artem, & solertiam imitari condecorata, quovis excessivo pretio vendi possunt. Navarrus in Manual. c. 23. num. 78. Lessius Lib. 2. c. 21. num. 16. Molina Disp. 348. Castro Palao lo. cit. Punct. 3. num. 2. Lugo Disp. 26. num. 47. cum communi ac probabiliori aliorum, contra Medinam de Restitut. q. 32. Petrum Navarrus lib. 3. c. 2. n. 11. & alios. Probatur Conclusio per Jura & rationes supra num. 121. allata, utpote quæ non minus de rebus in conclusione positæ, ac aliis procedunt. Præsertim cum nunquam liceat committere injustitiam, quæ tamen committeretur, si excessivo seu injusto pretio res aliqua quæcumque tandem venderetur.

128 Objicies cum Adversariis; merces in Conclusione positæ non habent pretium taxatum, uti supponitur; neque naturale, seu vulgare, hoc ipso, quòd ordinariè in contractum non veniant, indeque communem æstimationem, à qua pretium naturale desumitur, non recipiant: ergo quolibet pretio vendi possunt, saltem si emptor nulla necessitate, dolo vel fraude, sed sola speciali ductus affectione vel delectatione pretium excessivum liberè ac scienter expendat; cum sic excessum donare censetur. Resp. negando quòd non habeant pretium naturale; licet enim à rudi, ac communi plebe similes res raræ communem æstimationem, ac pretium non recipiant: tamen illud recipiunt à prudentibus ac intelligentibus. Lessius & Castro Palao citati.

129 Nec justificat pretium, quòd emens ex singulari affectione ad eam, pretium excessivum liberè expendat; quia ob particularem affectionem vel utilitatem ementis rem plus iusto vendere non licet, ut infra magis dicemus, cum pretia rerum non ex affectu, nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur. l. Pretia rerum, 63. ff. ad Leg. Falcid. Neque censetur emens donare excessum, eò quòd non intendat donare, sed emere; impleque venditor pretium non ut donatum, sed ut debitum accipiat; nec aliqua sufficiens donationis præsumptio addit; præsertim cum emptor liberè minoris emeret, si daret venditor, indeque ille cum illo de humilidiori rerum pretio, diu tractare ac contendere soleat, teste experientia.

130 Illud tamen communiter concedunt DD. posse in præfatis mercibus pretium augeri ob expensas factas in iis acquirendis, advehendis, conservandis, nutriendis &c. item si specialem delectationem non uti tantum vel alteri sed communiter afferant vel etiam licet communiter alicubi sed irrationabiliter magni æstimetur, arg. cit. l. Pretia rerum. Ob quam causam Palao cit. n. 4. post Covarruviam Lib. 2. Variar. Resolut. c. 3. n. 4. Salas, & alios bene docet, licitum esse Europæis, res vilissimas v. g. aviculas, cultellos, specula, vitra colorata, jocularia minutia apud nos parùm æstimatas magno & plurimum excessivo pretio vendere Indis, & Æthiopicis, eò quòd hæc minutia apud hos barbaros communiter plus æstimetur, quam aurum & argentum, itaque etiam communiter magis delectentur, & æstimentur, quam nescio quibus aliis rebus pretiosis, quo fit, quòd pretia eorum jam communiter funguntur, juxta requisitum l. Pretia rerum. 63. ff. ad Leg. Falcid.

Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

Quæritur III. An, & qualis sit obligatio levandis pretium legitimum, seu taxatum? Resp. I. Omnis taxatio seu determinatio pretii iuste facta obligat non tantum in foro externo, sed etiam interno, ita ut juxta quantitatem excessus vel defectus peccet contra iustitiam, & ad restitutionem teneatur tam venditor, si plus taxato pretio vendat, quam emptor si minoris emat, vel extorqueat. Ita unanimes & certa; uti videtur est apud Molinam Disp. 364. num. 2. Navarrus in Manual. c. 23. num. 88. Castro Palao de Justit. Commut. disp. 5. n. 4. Sanchez lib. 1. Concl. c. 7. dub. 4. & seqq. Lugo Disp. 26. & alios: dicit namque Scriptura Proverb. 11. v. 1. Statera dolosa abominatio est apud Dominum: & pondus æquum voluntas ejus: ac Levit. 19. v. 36. Statera justa, & æqua sint pondera, justus modus æquisque sextarius. Ratio lex à superiore legitime iuste lata obligat etiam in conscientia; prout latè probavimus supra Lib. 1. Tit. 2. De Constitutionibus. §. 7. Et in materia iustitiae violata restitutionem exigit per vulgaria Juris; ergo.

Resp. II. Pretium iuste taxatum observare te-  
132  
nentur non solum laici, sed etiam clerici, ac Religiosi. Castro Palao lo. cit. p. 5. n. 5. Azorius Tom. 1. lib. 5. c. 12. quest. 4. Medina de Restit. q. 36. Gutierrez pract. 99. q. 180. Ratio est; quia leges civiles iustæ, quæ absolute feruntur, & SS. Canonibus, aut immunitati Ecclesiastica non advertantur, etiam Clericos obligant, arg. c. 1. & 2. de Novi operis nuntiar. atque amplius diximus Lib. 1. Tit. 2. De Constitutionibus. §. 14. nu. 319. & 320. & in specie de observatione pretii iuste taxati in Theol. Moral. Tit. 2. dist. 3. n. 15.

Hinc si leges hujusmodi transgreditur Clericus, 133  
peccat, & ad restitutionem teneatur, æque ac laicus, potestque in foro externo puniri, non quidem à Judice laico; cum Laicis super Ecclesiis & personis Ecclesiasticis nulla sit attributa potestas, vel jurisdictionis, c. Ecclesia S. Marie. 10. de Constit. Sed à Judice Ecclesiastico, coram quo Clericus delinquens conveniri debet.

Resp. III. Etiam peregrini teneantur ad pretium 134  
iuste taxatum, nisi specialiter eximantur. Sanchez lib. 3. de Matrimon. Disp. 18. num. 13. Medina de Restitut. q. 36. §. Dubitaret. cum communi, & certa aliorum. Ratio est; quia ratione contractus forum quis fortitur, c. fin. de Foro competent. Pretium autem mercibus statutum, vel maxime perinet ad contractus; ergo. Accedit quòd ratione contractus forum fortiri, & legibus contractus altringi, à pari procedant juxta dicta in Theologia nostra Moral. Tract. 2. dist. 3. n. 23.

Resp. IV. Si manifestè constat, pretium inde- 135  
bitè, irrationabiliter, ac injustè taxatum esse, nemo in foro interno illud observare teneatur. Molina Disp. 364. n. 3. Layman lo. cit. §. 1. n. 3. & 5. Lessius Lib. 2. c. 12. n. 14. ad finem. Navarrus c. 23. n. 88. cum communi. Ratio est; quia lex injustè ac irrationabiliter determinans pretium, est injusta; Lex autem injusta nullam in foro conscientie obligationem parit, cum careat conditione ad legem necessariò requisita, can. 2. dist. 4. vi cuius Lex debet esse honesta, & justa.

Infertur cum citatis & aliis DD. I. Quòd si 136  
Principes vel Magistratus, aut deputati ab eis ex odio, vel passione, aut muneribus corrupti, vel errore, vel ignorantia seducti, pretium rerum plus minusve iusto determinent, possint tam emptores, quam venditores taxam tui conscientia transgredi. Idem dicendum, si pretium ab initio iuste positum, una ex recensitis causis, vel etiam ex negligentia non muteat, mutatis notabiliter circumstantiis, ex



quibus mercium aestimatio pendet; his enim mutatis, si lex mutatur, evadit injusta, utpote per quam injuste gravantur venditi.

137 Infertur II. Possit subditos ad evadendas poenas transgredientibus taxam statutas, uti licitè fraude: v. g. posse piscatorem, pisciorem, hospitem, praetorem, mercatorem &c. per pondus, ulnam, mensuram, aut alio consimili modo taxam sibi comparare, quantum justo pretio deest: id, quod per se in confessionali concedendum est lamentantibus poenitentibus, & in conscientia attestantibus, certum esse, quod stante taxa vel ipsimet grave damnum pati, vel certe omni honesto lucro, unico ipsorum sustentationis medio carere deberent; taxatoribus rem vel non intelligebus, aut inconsideratè, vel omnino passionatè taxantibus, aut taxam mutantis circumstantiis, non mutantibus. vide Bonacinam Disp. 3. de Restit. q. 2. pun. 4. n. 7. item pun. 6. n. 17.

138 Infertur III. Quod venditores, quando alià vià justum pretium obtinere nequeunt, mercibus aliam rem, vel eandem specie, minus tamen bonam, v. g. optimo tritico medicorem, generoso vino vel cecevis debilem, vel etiam aquam, ceræ picem, stanno plumbum (idem dic de aliis materiis) immiscere possunt; dummodo in modica quantitate, & ita fiat ut nullum exinde detrimentum emptoribus sequatur, satisque adhuc merx sit idonea ad usum, vel finem, cujus gratià emittit. Layman lo. cit. §. 2. n. 15. Molina Disp. 353. in fine. Lessius c. 21. dub. 11. Bonacina lo. cit. Lugo, Sylvester & alii. Ratio ulterior est; tum quia per hoc nulli emptori fit injuria, cum adhuc, uti supponitur, inter mercem & pretium servetur aequalitas, ac justitia commutativa. Tum quia, uti statim infra dicitur, possunt leves hujusmodi defectus, quibus merx aliàs affecta est, in venditione abscondi, & tamen pro ea taxatum, aut vulgare pretium justum accipi: ergo etiam eidem immisceri, saltem si alià vià damnum ex injusta taxa sibi imminere avertere, & pretium justum obtinere venditor non valet.

139 Dicitur autem in conclusione n. 135. posita: si manifestè constat, pretium esse injustè taxatum. Nam si dubiatur tantum, an taxatio pretii justa sit, nec ne, praesumendum de justitia legis, eique etiam in foro interno standum esse, concedunt omnes, ut videre est apud Molinam Disp. 364. n. 5. Bonacina lo. cit. n. 7. eò quod universaliter in dubio praesumptio fit pro superiore, arg. can. Quid clupatur. 4. caus. 29. q. 1. & ibi Glossa v. Sacriligo. Ex quo ulterius.

140 Infertur IV. Illos juxta quantitatem deceptionis peccare, & ad restitutionem teneri; qui stante justà pretii taxatione, vel dubio ejusdem, modis supra dictis utentes per pondus, ulnam, mensuram, mixturam &c. emptores decipiunt; uti constat ex iis, quae diximus supra n. 131.

§. VI.

De Causis & Circumstantiis, ob quas pretium augeri, vel minui, ipsaque res carius vendi, vel vilius enim possunt.

S U M M A R I U M.

- 141 Causa justa augendi pretium est damnum emergens.
- 142 Et lucrum cessans.
- 143 Dummodo ex venditione, & non aliunde sequantur.

Specificatur exemplis. Ibid.

144 Lucrum cessans, & damnum emergens deductis prius expensis computari debent.

145 Debet moneri emptor de augmento pretii ob lucrum cessans vel damnum emergens venditori.

146 Ob specialem affectionem, quam ad rem habet venditor, eam carius vendere potest, si certè adfuit conditio.

147 Ob specialem affectionem emptoris ad mercem, vel utilitatem, quam ex ea sperat, rem carius vendere nequit venditor.

148 Raritas mercium, & multitudo emptorum auget pretium.

149 Ob solam dilatatam solutionem, licitum quidem est rem vendere rigorofo pretio.

150 Sed non excedente limites justii pretii.

151 Nisi adfuit periculum perendi vel ex toto, vel ex parte pretium.

152 Periculum damni subire, est pretio aestimabile.

153 Probatum efficaciter.

154 Fidejussor ratione periculi aliquid accipere potest.

155 Ob periculum damni licet augere pretium, est dein damnum non sequatur.

156 Ob periculum solutionis carius vendens, monere debet emptorem, si absque offensa, & suo damno potest.

157 Objectio Adversariorum ex c. Naviganti de Ultr. proponitur, & solvitur.

158 Alia solutio.

159 Si in obtinenda solutione praevidentur difficultates, labores, ac molestias, justè augetur pretium.

160 Pariter, si ex dilata solutione lucrum cessans, vel damnum emergens venditori obveniat.

161 Approbatur praex mercatorum ob dilatatam solutionem carius vendentium; adjungitur etiam cautela.

162 Causa minuendi pretium, vel viliori pretio emendi dantur, & sunt primo lucrum cessans, vel damnum emergens.

163 Secundò, copia mercium, & paucitas emptorum.

164 Tertio, si magna copia mercium simul ematur.

165 Quarto, modus vendendi, ut si merces sub hasta, vel in foro scrutatorio venduntur.

166 Merces ultroneè vilescunt, quomodo intelligendum? Et num. 167.

168 Merces apud Mercatores plus valent, quam apud proxenetas: & quare?

169 Ob solam anticipatam solutionem, nullà alià minuendi pretium circumstantià existente, non est licitum, rem minus justo emere; Et nu. 170.

171 Solvitur Objectio.

Quæritur I. Quæ sint causæ, vel circumstantiæ, ob quas pretium rei taxatum, vel vulgare augeri, eamque carius vendere licet? Resp. Eas plures, potissimum verò sequentes esse. Prima est, damnum emergens; si nempe venditori ex eo, quod rem suam emptori vendat, damnum emergat, non secuturum, si eandem servaret. Unanimis & certa signanter D. Thomas 2. 2. q. 77. a. 1. Navarrus c. 23. n. 84. Molina Disp. 351. num. 2. Lessius Lib. 2. c. 21. dub. 4. Castro Palao de Justit. Commutat. Disp. 5. pun. 12. n. 3. eoque teste omnes. arg. can. Precarie. 4. §. 3. can. 10. q. 2. junctà l. Hoc Jure. 19. §. 1. ff. de donat. Ratio est; quia damnum emergens est pretio aestimabile; & æquitas non patitur, ut quis ex contractu damnum in gratiam alterius injurus patiatur; consequenter si cui ex eo, quod in gratiam alterius rem suam vendat, damnum emergat, ejus recompensationem justè præterendere potest; augendo juxta proportionem damni, pretium rei vendite.

II. Causa

II. Causa seu circumstantia est lucrum cessans.

Ita citati DD. cum communi aliorum, arg. cit. can. 4. §. 3. can. 10. q. 2. cum ratio, & usus obineat, neminem, cum non vult, contra utilitatem & rationem cogi, de proprio facere beneficium. Concordant c. fin. de Usur. l. 2. §. fin. l. 4. ff. de eo, quod certo loco junctà l. 21. §. 3. ff. de Action. empti. Ratio est; quia cum talis venditor non tantum mercem, sed etiam lucrum, quod pretio aestimabile est, vendat, pro illo æquè, ac pro merce proportionatum potest exigere pretium, ne inivus beneficium in contractu præstare cogatur contra cit. can. 4.

Verùm ut ob hanc & priorem causam, lucrum nempe cessans, & damnum emergens, ritè augetur pretium, aliqz requiruntur conditiones. Quartum prima est, ut damnum sequatur, vel lucrum cesset ratione ipsius venditionis, & non aliunde, vel per accidens. Sic v. g. si equum vendo, quo retento proponebam insequentes, jamjam, damnum mihi illaturus prædones declinare, licet mihi pro quantitate damni, pretium equi augere. Non verò si periculi ignarus cum equo aliàs domi manens à prædonicibus deprehensus damnum pateret; eò quod simile damnum non ex venditione equi, sed per accidens emergat. Pariter licitè quis plus vendat triticum, pannum, vinum, vel alias res si prudenter prævidet, quod post aliquod temporis spatium, quotiesque aliquid vendere non cogitaverat, mercium naturale vel taxatum pretium majus sit futurum: factis verò, si horum nihil prævidens, merces aliàs vendidisset: textu claro c. fin. de Usur. ibi: Excusatur etiam, qui pannos, granum, vinum, oleum vel alias merces vendit, ut amplius, quam tunc valeant, in certo termino recipiat pro eisdem: si tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus. Concordat c. 6. eod. junctà l. 21. §. 3. ff. de action. empti. Idem est, si res alias vendit, quibus retentis negotiari, vel aliàs lucrari potuisset.

Secunda conditio est, ut augmentum pretii non in tantum, quantum damnum emergens, vel lucrum cessans efficit, sed deductis fiat expensis, & laboribus, quos in evitando damno, vel lucro acquirendo venditor facere debuisse. Sic v. g. certa tritici mensura nunc juxta justum pretium vulgare, vel taxatum 20. conflans florenis, non potest vendi 30. florenis ex eo, quod hoc pretium ejusdem mensuræ futurum sit sequenti, ad quem aliàs servare intenderat, anno; sed debet prius deducere expensas, quas pro purgando & cribrando, ne inficiatur, retento tritico, fecisset. Communis & certa. Ratio patet, quia universaliter tam damnum emergens, quam lucrum cessans non nisi deductis expensis computantur.

Tertia conditio est, ut prius moneatur emptor, quod videlicet ex venditione hac venditor damnum emergens, vel lucrum cessans patiatur, indeque plus vendat, quam pretium naturale vel legitimum efficit. Ita Valentia 2. 2. Disp. 5. q. 20. punc. 2. Concl. 3. §. Tertia. Salas T. de Empt. dub. 30. num. 4. Frideric. h. r. num. 317. & Communi aliorum, Ratio est; quia aliàs deciperetur emptor, qui ignorans rem pretium, justo pretio secum contrahi putat, indeque emit, non empturus, si sciret, pretium ob venditoris lucrum cessans, vel damnum emergens augeri, eò quod forsitan facile alium inveniret, qui currente justo pretio vendere paratus foret, utpote nullum ex venditione damnum emergens, vel lucrum cessans passurus.

III. Causa licitè augendi pretium, cariusque vendendi est specialis ad rem affectus venditoris, causans eidem honestam oblectationem &c. Molina disp. 35. n. 3. Lessius lib. 2. c. 21. n. 26. Navarrus lib. 3. c. 2. n. 23. Palao de Justit. commut. Disp. 5. pun. 12. n. 3. Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

& communis aliorum. Ratio est; quia cum talis affectus honestam causet mentis distractionem, oblectationem, aut hilaritatem, per quam non raro vires restaurantur, lassitas recuperatur, vel conservatur, omnino aestimabilis est, consequenter in pretium deduci potest: Dummodo, quod DD. communiter requirunt, Affectus hujusmodi I non sit levis, vel communis, sed magnus; & II. desuper moneatur emptor ob rationem num. præc. dictam; ac III. Venditor non æquè sit affectuatus ad rigorofo, seu summum rei pretium, aliàs enim affectus affectu compensaretur. Quæ conditiones quia raro concurrunt, raro quoque plus justo pretio rigorofo merx vendi potest ob venditoris affectum; prout bene observat Molina Disp. 351. n. 3. ubi ad finem ob plurium circumstantiarum periculum consultit, ne facile augetur pretium propter affectionem. Caterùm augmentum pretii hujusmodi justè facti; vocare solent pretium affectuosum.

Notandum hic etiam specialiter cum communi DD. quòd allegatè hæctenus tres causæ augendi DD. quòd allegatè hæctenus tres causæ augendi reperiantur: hoc est, venditor plus vendere rem ex eo non potest, quòd videat, emptorem specialè erga illam affectu affici, vel magnum inde reportaturum lucrum, aut ecessè habere, ita, ut nisi emat, notabile incurrat detrimentum. Ratio est; tum quia juxta D. Thomam 2. 2. q. 77. a. 1. communiter receptum, nemo suam commoditatem emere cogitur: tum quia venditor non potest vendere id, quòd non est suum; commoditas autem illa, utilitas, affectus, vel necessitas, quam respectu rei solus habet emptor, non est venditoris; ergo. Ex quo colligitur, injustissimam ac restitutioni obnoxiam esse praxim plurimorum, qui videntes, quòd res ipsorum necessariæ, vel admodum utiles sint cuidam tertio, ex hoc solo capite pretium notabiliter augent, mendaciter simulando, quasi verò rem omnino illibenter venderent, vel ex venditione d. num. emergens proprium aut lucrum cessans haberent. D. Thomas lo. cit. Layman lo. cit. §. 1. n. 10. Lessius c. 21. Frideric. de Empt. & Vendit. n. 337.

IV. Causa licitè augendi pretium est penuria seu raritas mercium, ac multitudo emptorum. Communissima apud Layman lo. cit. Castro Palao de Justit. commut. Disp. 5. punc. 12. n. 1. Lessium c. 21. dub. 4. n. 30. arg. can. Legimus 24. dist. 93. ibi: Omne quòd rarum est, plus appetitur, ac pretiosius est. Ratio est; quia quòd rarum est, difficultus haberi potest, quòd autem difficultus, minorique in copia invenitur, existentibus multis emptoribus, communiter plus aestimatur, quæ communis aestimatio pretium justificat, arg. l. Pretia rerum ff. ad Leg. Falcid. Hinc fit quòd nonnunquam pretia rerum repente notabiliter crescant, superveniente nempe subito multitudine emptorum, quibus abundantius eadem pretia illicò iterum ad antiquum statum redeunt; prout contingit in adventu exercitus, item tempore comitatum, &c.

Quæritur II. An dilatio solutionis sit sufficiens causa carius vendendi? sive an ex eo, quòd quis creditò vendat, pretium licitè augere possit? Ante responsum, ut cerum supponendum est, ex eo, quòd emptor non statim solvat, licitum esse venditori merces vendere pretio justo summo rigorofo, quas alias solet infimo vel medio vendere, ita enim teste Azorio lib. 8. c. 8. §. In primis constat, sentiunt omnes T. T. & Jurisperiti, juxta dicta supra n. 119. Unde tantum difficultas est de augmento limites justii pretii excedente. Ad quam

Resp. I. Illicitum est, rem plus justo vendere, 150 ex hac sola causa, quòd emptor non statim vendat, seu quòd solutio differatur; & venditio creditò fiat.



Ita unanimes omnium DD. teste Azorio lo. cit. §. vis agitur: textu claro c. Confuluit. 10. de Uirris, ubi ad interrogationem, an negotiator consimili pane (Ularæ) debeat condemnari, qui merces suas longè majori pretio distrahit, si ad solutionem faciendam prolixioris temporis dilatio prorogetur, quam si ei in continenti pretium persolvatur? Respondetur, hujusmodi homines judicandi sunt male agere, & ad ea, quæ taliter sunt accepta, restituenda in animarum iudicio efficaciter inducendi. Et merito, quia si quis rem decem florenis constantem vendit quindecim ex hoc solo, quia decem floreni non statim solvuntur, idem facit, ac si decem florenos mutuos daret, ut post aliquod tempus quindecim accipiat, uti consideranti patet; atqui posteriori continet usuram; ergo & prius. Dicitur autem notanter, ex hac sola causa. Nam

151 Resp. II. Si ob dilatam solutionem venditor prudenter timet periculum ipsius pretii iusti vel ex toto, vel ex parte perendi, potest iuxta arbitrium viri prudentis rem pluris vendere juxta proportionem periculi. Medina de Restit. q. 38. cas. 3. & 4. Lessius c. 21. dub. 6. n. 54. Castro Palao de iustit. Commut. Disp. 5. pun. 12. n. 6. Molina Disp. 356. Valentia, Saa, cum communi & probabiliori aliorum, quibus etiam favet D. Thomas 2. 2. q. 77. a. ad 2. contra plures gravissimos DD. ut Lopez, Bannez, Conrad. Rebell. & alios. Probatur Conclusio efficaciter ex c. In civitate. 6. de Usur. ubi postquam Pontifex reos peccati pronuntiavit illos, qui ob dilatam solutionem pretium augent, excipiendo subiungit: nisi dubium sit, merces illas, plus tempore, quo pretium debent recipere, valituras. Ex quo sic formatur argumentum: vi hujus capituli licitum est creditio rem pluris vendere ex eo præcisè, quia venditor subit periculum perendi lucrum, seu pretii incrementum, quod iuste accipere sperat, si rem suam ad tempus aliquod servaret; alia enim causa augendi pretium ibi non adest, ut consideranti patet: ergo à fortiori licitum erit venditori, rem carius vendere, si vendendo subit periculum, non tantum pretii incrementum, sed & ipsum pretium ex toto, vel saltem notabili ex parte perendi, prout res se habet in conclusione.

152 Ratio autem Conclusionis quamvis multiplex à DD. afferatur, potissima tamen hæc est: quia exponere se periculo gravis damni, est omnino iudicio pretio æstimabile, arg. L. 5. ff. de Nautico fœn. ibi: Periculi pretium est: ergo pro eo aliquid exigi potest; consequenter si venditor ob dictam solutionem reverà se exponit periculo gravis damni, perendi nempe pretium ex toto, vel ex parte, licitè poterit ratione hujus aliquid exigere.

153 Confirmatur eadem ratio. Vendere rem creditò, absque periculo perendi pretii, & eam vendere cum periculo, multum differant: quia in hoc, non item in illo venditor odiosè molestatur curâ, sollicitudine, ac timore, & labore, ne pretium perdat; ergo si potest in priori venditione totum justum pretium etiam rigorosum petere, poterit in posteriori ob annexam novam circumstantiam vel causam pretio æstimabilem aliquid ultra petere, cum venditor non teneatur in gratiam emptoris absque ullo envolumento tantam subire molestiam. Ob quam causam ipsimet adversarii fatentur, posse nomina seu chyrographa minus emi, si in eis, licet cæterisquin liquidis, obtinendis periculum sit; juxta dicta supra n. 61.

154 Confirmatur ulterius, quando in casu periculose solutionis ab emptore constituitur Fidejussor ad hoc, ut solvat venditorem, casu quo ipse debitor principalis solvere vel nollit, vel non possit, licitum est tali fidejussori, ratione solus periculi, quod subit, aliquid pretendere & accipere, juxta communem DD. etiam ipsorum adversariorum, ut vi-

dere est apud Molinam Disp. 319. n. 1. Navarrum alias conclusionis summum adversariorum in Manual. c. 17. n. 185. Covarruviam part. 3. Variar. Resolut. c. 2. n. 6. arg. l. Hoc Jure §. 1. ff. de Donat. ergo ratione ejusdem periculi etiam ipse venditor aliquid pretendere & accipere potest, cogitando vel dicendo, vendam creditò absque fidejussore, ut id, quod hic ratione periculi caperet, ego accipere valeam: cum non sit major ratio de uno, quam de altero.

Notandum tamen cum communi DD. ad hoc, ut venditor ratione periculi aliquid ultra rigorosum pretium licitè petere possit, periculum debet esse verum & non fictum, nec ex vana apprehensione, aut persuasione alicujus meticulosi, aut avari ubique periculum timentis, & nulli fidentis conceptum. Quamvis non requiratur, ut damnum postea reipsè eveniat, eò quòd non tantum propter ipsum damnum revera futurum, sed etiam propter verum ejusdem periculum, & consequenter inde molestias augmentum pretii licitè fieri possit; etsi dein per accidens damnum non sequatur, arg. cit. c. In civitate. 6. de Usuris, vi cujus ob solum dubium, seu periculum perendi lucrum, carius vendere licet, etiam si postea effectus dubii vel periculi non sequatur.

Volunt insuper DD. ut Lessius lo. cit. n. 55. Molina Disp. 356. & alii, debere emptorem à venditore moneri, quòd ratione periculi rem carius vendat. Verùm hoc rectè limitat Gibalin. in casu, quo hæc monitio fieri nequit absque offensa emptoris; prout ordinariè fit in minoribus & quotidianis commerciis & emptionibus apud mercatores. Et certè, quis vellet obligare mercatores, ut, dum ob verum periculum, pretium iuste augent, semper moneant emptorem, eique dicant v. g. rem hanc creditò tibi vendo, sed pluris ideo, quia periculum est, an sis solvendo, vel an non interea tua dilapidet, vel an sis solviturus &c. planè enim hæc monitio nempe vel graviter offenderet emptores, vel etiam ipsum periculum auget, emptoribus id pro accepto habentibus. Aliud est de venditionibus majoris momenti, v. g. agrorum, prædiorum &c. ubi sine offensa emptoris licitè fidejussorem petere potest hoc ipso, quòd in hujusmodi venditionibus, si creditò fiat, ad evitanda communia pericula ordinariè fidejussor, vel pignus peti, darique solet: quòd si non petat, causam indicare sanè debet, quòd rem suam pluris vendat, ob rationem n. 145. datam.

Obiectio adversariorum contra conclusionem no-157 stram est textus c. Naviganti. ult. de Usur. ubi aperte reprobanda videtur doctrina nostra his verbis: Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutans pecunie quantitatem, eò quòd suscipit in se periculum, recepturus aliquid supra sortem, usurarius est censendus. Ille quoque, qui dat decem solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensuræ reddantur, quæ licet tunc plus valeant, utrum plus minusve tempore solutionis sint valituras, versimiliter dubitatur, non debet ex hoc usurarius reputari. Ob hunc textum Lopez nostram conclusionem periculosam censet in fide, sed immeritò. Nam Respondetur cum Gonzalez in cit. c. Naviganti. de Usur. n. 8. Navarro in Manual. c. 17. n. 8. §. 4. Sylvestro, Cajetano, & communi aliorum, priorem partem textus intelligendam esse de casu, quo quis ad palliendam usuram dat mutuas pecunias, earumque periculum, quòd aliis ad mutuatarium, tanquam dominum pertinet, in se suscipit hoc sine, ut possit aliquid supra sortem accipere, qui modus ab usura minime excutatur, ut post Alexandrum l. 4. Concil. 121. Albericum in l. Jubemus. C. de Sacrosanct. Eccles. Decium & alios bene docet Gonzalez in cit. c. Naviganti. n. 8. Non item in casu, quo quis juxta naturam contractus, periculum pecunie

mutuatæ, vel rei venditæ relinquens mutuatario, vel emptori, aliquid pretendit ob periculum non obtinendæ solutionis.

158 Vel dic cum Laymano Lib. 3. Tract. 4. c. 16. n. 13. Palao de iustit. Commutat. Disp. 4. punc. 18. Fachin. lib. 2. Controv. c. 48. Gibal. lib. 2. c. 4. d. 3. Barnatio, Narbona, & alii, in præfata priori parte textus, errore transcribentium omisam esse particulam non, adeoque pro usurarius est censendus, legendum esse, usurarius non est censendus: quæ interpretatio, quamvis omnes codices erroris arguat, cum nullibi particula non reperitur, tamen fundamento non caret: tum quia sic facile concordatur c. Naviganti cum c. In civitate. de Usur. Tum quia idem ex sequenti parte textus aperte colligi videtur, dum statim subiungitur: ille quoque &c. non debet usurarius reputari. Siquidem dictio quoque est impropria prioris casus, arg. L. 3. §. In amittenda ff. de Acquir. vend. poss. ff. & l. qui legatorum §. Filium quoque ff. pro hærede. Tum quia verisimile non est, quòd Pontifex tam inconvenientem fecerit constructionem, duobus casibus, an usuram contineant, propositis, ita respondendo. Primus casus usuram continet: secundus quoque non continet usuram; ly quoque enim omnino requirit, ut vel in primo particula non addatur, vel etiam in secundo dematur; ita ut utraque vel affirmativa sit, vel negativa, aliàs enim, ut consideranti patet, regulari non habetur constructio. Sunt adhuc alie responsiones DD. ad dictum textum, quas videre licet apud Gonzalez in cit. c. Naviganti.

159 Resp. III. Si quis creditò rem vendens, prudenter prævidet, quòd solutionem quidem sit obtenturus, sed non nisi cum magna difficultate, molestiâ, labore &c. potest ultra rigorosum pretium, aliquid juxta arbitrium prudentis viri accipere. Ita DD. pro priori Conclusionem n. 151. citati. Imo teste Castro Palao lo. cit. n. 6. DD. ferè omnes. E. ratio est; quia propter alium molestias devorare, labore, & difficultate fatigari, est omnium iudicio, pretio æstimabile; ergo ob hanc causam aliquid exigi iuste potest, arg. l. Si in emptione. 34. ff. de Contrah. Empt. Id quod in mercatoribus contingere non raro videmus, qui dum pro debita mercede venditarum creditò mercium, aliquoties currunt, magnaque cum molestia instant, sæpe non nisi mala verba, imo nonnunquam & verbera, vel minas loco mercedis reportant; donec tandem hujusmodi odiosis debitoribus solvere, bene commodum fuerit.

160 Resp. IV. Si ob dilatam solutionem venditor lucrum cessans vel damnum emergens patitur, non passurus, si iustum pretium statim fuisset solutum, licitè potest juxta proportionem lucris, licitè damni pretium augere. Ita DD. supra n. 141. citati. Probatur conclusio fundamentis Juris & rationum ibidem allegatis; quia utrobique pariter militat: cum non appareat ratio, cur quis ob lucrum cessans, vel damnum emergens possit augere pretium, dum vendit pro præfenti & enumerata pecunia; & non, dum vendit creditò. Notandum tamen, quòd licet citata, ita, & hæc conclusio non nisi cum conditionibus ibidem appositis sit intelligenda. Cæterum ex dictis

161 Colligitur, vix dampnari posse illam mercatorum praxin, quæ merces suas creditò pluris, quam pro numerata pecunia vendunt, eò quòd teste experientia plerumque & ordinariè loquendo, adit vel periculum perendi pretii, vel in eo obtinendo prævideatur lucrum cessans, aut damnum emergens, hoc ipso, quòd mercatores cum præfenti pecunia continud negotientur, & lucrum faciant &c. Observent tamen mercatores, necesse est, ne indistinctè apud quoscunque creditò ementes, pretium æqua-

liter augeant, sed juxta proportionem periculi, aut molestiarum, quas in quovis prudenter prævident; uti communiter notant DD. & merito, aliàs enim multi injustè gravarentur, cum in aliquibus vel nullo, in aliis modicum, & in quibusdam majus periculum aut molestias prævidenter sint timenda.

Causis diminuendi pretium annumerat etiam pactum redimendi. Rota Decis. 344. p. 4. To. 2. recent. & in una Romana præfente simulationis contractus, 16. Junii 1653. & apud Bichium Decis. 648. n. 24.

162 Quæritur III. Ob quas causas, vel circumstantias pretium rerum venalium minuere, easque minus pretio infimo emere liceat? Resp. Sicut augendi: ita etiam minuendi pretium, plures dantur causæ, potissimum verò sequentes. I. causa est lucrum cessans, vel damnum emergens emptoris: ut si quis v. g. agrum, domum, equum, gemmam &c. vel quid aliud sibi minus utile, in gratiam venditoris emit pecuniâ numeratâ, quâ aliàs negotiari & lucrari, vel quid aliud sibi magis utile ac proficuum emere potuisset, & reverà fecisset: vel si in re, quam emit, procuranda, vel conservanda debet expensas facere, potest juxta proportionem lucris cessantis, vel damni emergentis pretium minuere. Ita communis DD. præsertim illi, quos nu. 141. & 142. citavimus, ob fundamenta Juris & rationis ibidem allegata.

163 II. Causa est copia mercium, & emptorum paucitas. Communissima, imo teste Navarro Manual. c. 23. n. 78. omnes. Ratio est; quia quando adeit abundantia mercium, & deficient emptores, hoc ipso jam merces vilescunt, & communiter minus æstimantur: ubi autem communis æstimatio minuitur, ipsum etiam minuitur pretium, arg. l. Pretia rerum. ff. ad Leg. Falcid. ut proin rectè dixerit Tertull. lib. 1. de Habitu mulier. Semper abundantia in se ipsa contumeliosa est: & Poëta: Inopem me copia fecit. Inde etiam fit; quod in sine nundinarum dilapsis jam emptoribus, merces in copia adhuc existentes minoris emanant.

164 III. Causa est, si magna mercium copia simul ematur. Layman. lib. 3. Tract. 4. c. 17. n. 10. Lessius lib. 2. c. 21. dub. 4. n. fin. Frederic. n. 341. cum communi aliorum. Ratio est; quia communi consensu receptum habetur inter venditores & emptores, quòd minus pretium detur & accipiatur, si merces simul & semel in magna copia, quam si singillatim ac successivè emanant. Nec immeritò; quia venditori aliunde fit aliqua recompenlatio, dum tali simultanea copiosa mercis emptione exoneratur multis curis, molestiis, & laboribus, quos alias in conservandis, vel singillatim vendendis mercibus sustinere debuisset: simulque habilior redditur ad comparandas alias recentes, & novas merces, quibus novum lucrum facere licet.

165 IV. Causa est modus vendendi; nam merces, quæ sub hasta venduntur; vel in foro scrutatorio, minoris æstimari solent, quam quæ in propria officina quæruntur, & rogantur. Simili ratione, ait Lessius cap. 21. dub. 6. n. 56. merces, quæ communiter data fide ad certum tempus vendi solent, ob talem vendendi modum, pluris venire possunt; tum quia talis venditio excitat copiam & fervorem emptorum, ex quo pretia augentur: tum quia plerumque Mercatoribus incommodum est, tanto tempore solutionem expectare. Sed & è contrario, ait idem Lessius. dub. 7. n. 16. modus vendendi communiter solutione anticipata facit pretium decrescere, quia inducit raritatem emptorum, & multitudinem venditorum, quòd etiam docet Molina. Disp. 360.

Huc communiter reducunt DD. etiam illum modum, quo emptor rogatus à venditore, emit; eò quòd



quod iuxta trium illud, *merces ultronea vilescant*. Ob quam causam teste Navarro *loc. cit.* communiter recepto, fit, quod idem pannus, vel idem liber &c. plus valeat in taberna mercatoris, quam in manu proxenetæ quærentis emptorem: & longè minoris valeat spolia, quæ victor exercitus vendit statim à direptis hostium castris, quam alia ejusdem generis, quæ etiam à proxenetis deferuntur vendenda, bello jam finito.

167 Verùm hæc doctrina cum grano salis, certa que cum limitatione est intelligenda; cum non absolute ac universaliter, sed tunc tantum verificetur, quando merces ultronea simul habent admixtam aliam qualitatem vel circumstantiam, vi cujus vilescunt: ut si v. g. adest abundantia mercium, aut paucitas emptorum; vel si merx emptori nullatenus, vel parum sit utilis; vel etiam onerosa, aut damnosa, & nihilominus eam in gratiam venditoris emat. Secus verò, si harum circumstantiarum nulla existat: Sic enim ex hoc præcisè, quod emptor ob privatam suam utilitatem vel necessitatem roget venditorem, ut rem aliquam eidem vendat, non potest eam plus vendere venditor, prout cum D. Thoma 2. 2. q. 77. a. 1. Scoto in 4. dist. 15. n. 2. Navarro *Manual. c. 23. n. 78. & 83.* Lessio, Laymano, ac communi aliorum, supra n. 147. jam diximus; ita etiam ex solo hoc capite, quod quis in necessitate forsitan constitutus, rem suam vendendam alteri ultroneè offert, eumque, ut emat, rogat, minoris emi nequit. Lugo *Disp. 26. n. 91.* Lessius c. 21. n. 31. Molina *Disp. 5. in princ. & alii.* Alias certò etiam rem sibi summe utilem minoris emere quis posset ab eo, qui paupertate pressus eam vendendam ultrò offert, & ut ematur, rogat. Imò defectò vi hujus tituli fermè apud omnes mercatores res minoris emi possent; cum singuli merces suas vendendas offerant, & exponant, passimque prætereuntes, ut emant, invitent, & rogent. Invaluit autem tritum illud, *merces ultronea vilescunt*, exinde, quod ordinariè una ex recentis circumstantiis pretium minuuntibus, fit conjuncta.

168 Illud tamen, quod Navarrus cum communi docet, negandum non est, merces, quæ à proxenetis, vel aliis vendendæ circumferuntur, minoris valere, quam in officina publica, non ideo, quia ultroneæ, offeruntur, sed quia Mercatoribus, ex quibusvis meribus honestum lucrum, utpote unicum ipsorum sustentationis remedium conceditur, ob labores & curas, quas vi officii sui inquirendis & conservandis pro bono communi meribus jugiter habent, prout cum Lugo *Disp. 26. n. 88.* Lessio, & Medina communiter tradunt DD. ipsaque probat consuetudo ubique recepta, vi cujus Mercatores, & alii vi officii vendentes, ordinariè merces plus vendunt, quam alii.

169 Quæritur IV. An liceat minoris emere ob anticipatam solutionem? Resp. I. Si ob anticipatam solutionem emptor patitur lucrum cessans, vel damnum emergens, aut incurrat periculum, ne loco justæ mercis, suo tempore tradatur defectuosæ, vel aliis frâs eidem aut dolus inferatur, potest rem minoris emere. Certa & unanimis per ea, quæ supra n. 149. & seqq. de dilata solutione diximus.

170 Resp. II. Si nulla ex recentis aut similibus circumstantiis, rerum pretium minuuntibus adsit, illicitum ac injustum est, ex solo anticipatæ solutionis titulo rem minoris emere. Ita teste Frideric. h. t. n. 356. omnes DD. ob fundamenta, quibus supra n. 149. probavimus, injustum esse, ob dilatatam solutionem rem plus vendere: Quia ob paritatem rationis in utroque implicita continetur usura, arg. c. *Consuluit. 10. de Usur.*

171 Nec dicas, hoc esse contra receptam praxim plurimum

Provinciarum, ut Belgii, ubi teste Castro Palao *loc. cit. punc. 13.* lanæ anticipatâ solutione plerumque minoris emuntur, ac est currens pretium: item aliarum Provinciarum, ubi fructus agrorum, pratorum, vinearum &c. ordinariè minoris emuntur, si solutio anticipatur. Respondetur enim, hoc fieri non præcisè ob anticipatam solutionem, sed quia ordinariò concurrat una ex circumstantiis pretium minuuntibus sæpe jam adjectis.

§. VII.

De Venditione rerum vitio laborantium: ubi etiam de dolis, & fraudibus, quæ in Emptione Venditione committuntur.

SUMMARIUM.

- 172 Vitia seu defectus mercium quadruplicia, in substantia nempe, quantitate, qualitate, & mixtura.
- 173 Quando emptor de certo vitio interrogat, tenetur illud manifestare venditor, nisi cognoscatur, emptorem nihilominus eodem empturum pretio.
- 174 Vitium, vel defectus manifestè patens, necessariò non est indicandus.
- 175 Nisi forsitan venditor cognosceret, vitium patens ab emptore ex ignorantia, vel negligentia non observari.
- 176 Vitium, seu defectus circa substantiam ordinariè manifestari debet.
- 177 Ponitur limitatio.
- 178 Vitia circa qualitatem, causantia emptori, vel tertio damnum, vel reddentia merces inutiles ad finem ementis, manifestare tenetur venditor. Et num. 179.
- 180 Secus est, si merces vitii qualitatis affectæ, sint æque, aut fermè æque utiles ad usum & intentum ementis.
- 181 Vitium in quantitate quoque manifestare debet venditor.
- 182 Nisi pretium legitimum, vel vulgare esset injustum.
- 183 Proponitur & solvitur objectio circa deceptionem in pondere & mensura.
- 184 Monitio Molinæ ad Confessarios.
- 185 De mixtura mercium. Remissivè.
- 186 Si venditor dolose occultando vitium mercis, causat damnum emptori, vel tertio, tenetur ad recompensationem.
- 187 Qui bonâ fide rem vendit, ignorans illam laborare vitio, non tenetur damna inde secuta resciscere, bene tamen restituere, id, quanto minoris res empta fuisset.
- 188 Nisi tempore contractus bona fide celebrati, per expressam conditionem ab omni periculo, & onere restituendi se exemisset.
- 189 Hæc tamen conditionis appositio non juvat dolosè abscondentem rei vitium.
- 190 Emptor quoque ad restitutionem tenetur, si ab ignorante venditore rem donam pro mala, argenti pro stanno &c. emit.
- 191 Etiam si prius moneat venditorem, ut rem bene consideret; vel condonationem defectus pretii, si quis esset, ab ignorante obtineat.
- 192 Ponitur limitatio præcedentis doctrinæ.
- 193 Merces in una Regione vilissimæ, in alia summo pretio licitè vendi possunt, si ibi communiter magni æstimantur.
- 194 Qui occultè scit in agro, vel alio fundo latere thesaurum, venas metalli &c. potest illum curren-

curren-  
tium pretio emere, nec tenetur venditorem monere de thesauro, vel propterea pretium augere.

- 195 Qui scit brevi minuendum vel augendum pretium, illicitè vendit & emit curren-  
tium pretio, juxta aliquos.
- 196 Fundamentum eorum.
- 197 Eligitur sententia contraria.
- 198 Probatur.
- 199 Confirmatur.
- 200 Respondetur ad fundamentum adversariorum.
- 201 An non saltem contra charitatem peccet, contravertunt DD.
- 202 Ponitur sententia negativa.
- 203 Quo tamen limitatur in casu, quo cum magno emptoris detrimento vendit magnam quantitatem, quàm aliàs non vendidisset venditori.
- 204 Si venditor causa efficac non est, potest etiam magnam quantitatem vendere.
- 205 Qui vendidisset magnam quantitatem, etsi notitiam non habuisset, non tenetur post notitiam habitam à venditione abstinere.
- 206 Nisi forsitan in extremam necessitatem deveniret emptor.
- 207 Non potest plus vendere alicui damnum passuro, si habere potest emptorem, qui absque damno emit.
- 208 Qui scit valorem certæ monetæ minuendum, potest eandem expendere in ea quantitate, in qua aliàs expendisset.
- 209 Non autem potest ob hanc notitiam studio omnem talem monetam segregare & expendere in quantitate, in qua aliàs non expendisset.
- 210 Sciens, discessuram aulam Principis, potest domum locare pretio quo aliàs locasset.
- 211 Pariter vendere potest sua, qui scit ea, ob futuram obsidionem brevi peritura, si aliàs vendidisset, secus illicitè ageret.

172 Quæritur I. An, & quales teneatur venditor detegere defectus vel vitia mercis? Notandum prius, quadruplicem dari posse in rebus defectum, vel vitium. Primum in substantia; ut si vendatur vitrum pro gemma, aurichalcum pro auro &c. Secundò in quantitate, putà in mensura, numero, pondere &c. Tertio in qualitate, ut quando datur ovis morboza pro sana, pannum adustum, tigna vitiosa &c. Huc pro Quarto reducuntur merces alienæ materiâ adulteratas, vel deterioratas, ut vinum aquâ mixtum, frumentum paleis, alisque feminibus involutum, ceram pice permixtam &c. Inter quæ vitia, alia manifestè patent, alia latent vel utrumque, vel saltem emptorem. His prænotatis,

173 Resp. I. Si emptor de quibusdam vitiis expressè interrogat, tenetur illa manifestare venditor. Molina *loc. cit. n. 26.* Lugo *Disp. 26. n. 133.* Conclusio-  
nem nostram ponens pro regula universali. Ratio est, tum quia si venditor expressè interrogatus, fraudulenter negat, vel dolosè æquivocatione celat vitium, censetur dolus dare causam contractui. Hujusmodi autem contractus illicitus ac invalidus, vel saltem ut iniquus invalidandus est, arg. c. 15. & 16. de *Rescript.* vi quorum Fraus, & dolus nulli patrocinari debent. Advertunt nihilominus citati DD. quòd, si venditor verisimiliter judicet, emptorem etiam manifestato vitio rem vitiosam eodem pretio empturum, consequenter dolum non esse causam contractus, negando vitium, non nisi veniali mendacio peccet, contractu de reliquo, & valido & licito remanente.

174 Resp. II. Si vitium aliquod, vel defectus quicumque tandem manifestè cuius patet, regulariter loquendo non tenetur illum manifestare venditor, vel desuper monere emptorem. D. Thomas 2. 2. q. 77.

a. 3. ad 1. Molina *Disp. 353. n. 17.* Navarrus in *Manual. c. 27. n. 29.* Castro Palao *loc. cit. punc. 22. n. 6.* Layman *loc. cit. §. 2. n. 14.* & communis aliorum: textu expresse. l. *Ea quæ. 43. ff. de Contrah. Empt. & L. 1. ff. de Edilit. edict.* Ratio est; quia ubi res ipsa loquitur, non est opus voce venditoris.

Dicitur notanter, regulariter loquendo; quia limitatur conclusio in casu, quo circumstantiis venditor bene advertit, emptorem tam rudem, ac imperitum esse, ut vitium per se patens non agnoscat; uti communissimè advertunt DD. signanter Molina *loc. cit. Palao loc. cit. n. 7.* Layman *loc. cit.* Petrus Navarrus de *Rescript. c. 2. dubit. 7. n. 54.* Ratio est; quia respectu talis, vitium revera censetur occultum. Idem dicendum, si emptor ex negligentia, vel inadvertentia vitium non observare dignoscitur, uti contra Frideric. n. 525. Toletum, Vega, Salas, & alios rectè docet Abbas in c. *Injustum. de Rerum permut. n. 4.* Sylvester *ÿ. Emptio. n. 20.* Medina de *Rescript. q. 34.* Castro Palao *loc. cit. & alii.* Rationem assignat Abbas; quia quamvis in hoc fit aliqua culpa penes emptorem, nihilominus venditor hoc advertens, committit dolum, si emptorem non monet. Dolus autem præponderat culpæ, *Glossa. l. Item si oblectrix. ÿ. tenebitur. ff. ad Leg. Aquil. Accedit*, quod etiam respectu talis saltem hic & nunc verè dicitur vitium occultum.

176 Resp. III. Si vitium seu defectus est occultus, & versatur circa substantiam; omnino manifestari debet, ita, ut si taceatur, contractum non tantum illicitum, sed & irritum, ac invalidum reddat. Omnes. Ratio est; quia ubi est error seu defectus in substantia, deest consensus, qui est de substantia emptionis venditionis, textu claro l. *In venditionibus. ff. de Contrah. Empt. junctâ l. 2. & 11. C. eod.* prout amplius diximus supra n. 11.

Limitant conclusionem aliqui, in casu, quo una 177 res pro alia, substantialiter diversa tradita, æquè, vel saltem æquè bona, utilis & conducens est ad usum & finem ementis, ac illa quæ petitur & intenditur, Sanchez *lib. 7. de Matrim. Disp. 18. n. 12.* Lugo *Disp. 26. n. 124.* Salas de *Empt. dub. 35. n. 1.* Gr. fii, Lopez & alii. Rationem dant; quia quamvis etiam in tali casu physice loquendo, una res ab alia quoad substantiam sit diversa; tamen juxta moralem considerationem & æstimationem (per quam rerum pretia statuantur) censentur esse idem, consequenter etiam adesse consensus, vel certè non nisi irrationabiliter abesse. Ex quo colligunt licitè & validè dari posse unum medicamentum à petito substantialiter diversum, quando certò constat, hoc æquè utile esse pro fine ementis ac illud. Idem dicendum in aliis mercibus, præsertim quando emptore rem non intelligente, venditor certò scit, quòd res substantialiter alia, eidem ad usum & finem intentum magis serviat quam petita.

178 Resp. IV. Si vitia occulta versantur circa qualitatem, & sunt talia, ut ad usum, vel finem ab emptore intentum, vel omnino, vel partim sint utilia, vel etiam si sint eidem, vel tertio nociva, gravissimè obligatur venditor, illa manifestare, etiam si de eis non interrogetur. Ita teste Castro Palao *loc. cit. n. 8.* omnes DD. *arg. l. 1. §. Proinde. ff. de Edilit. edict.* ibi: *Proinde, si quid tale fuerit vitii, sine morbi, quod usum ministeriumque impediât, id dabit redhibitioni locum.* Concordant leges ibidem sequentes. Ratio est: quia in hujusmodi Emptoribus dolus revera dat causam contractui, deest verus emptoris consensus, quo deficiente deficit contractus ipse, l. *In venditionibus. ff. de Contrah. Empt.*

Procedit Conclusio etiam in casu, quo emptor 179 rem non ad specialem usum pro se, sed, ut iterum vendat alteri, emit. Castro Palao *loc. cit. n. 9.* Navarrus in



in Manual. c. 23. n. 89. Pecus Navarrus de Restitut. c. 2. dubit. 7. & communissima aliorum. arg. cit. l. 1. §. Proinde. ff. de Edili. edicto. Ratio est: quia in hoc quoque deest consensus ementis, utpote qui non nisi merces, sibi, aut illis, quibus revenditurus est, utiles, ac proficuas emere intendit; consequenter si merces revendendae aliis emptoribus, ob vitium, quo laborant, inutiles sunt, vel parum utiles, consensus eas emendi adesse non censetur.

180 Resp. V. Si occulta circa qualitatem versantia rerum vitia sint modica, vel talia, quod is non obstantibus res ad usum, & finem ab emptore inventum aequè vel ferè aequè sint utiles, ac si vitia abessent, non tenetur illa manifestare venditor. D. Thomas Quodlib. 2. a. 10. Molina lo. cit. Layman lo. cit. n. 19. cum communi aliorum, arg. cit. l. 1. §. Proinde ff. de Edili. edict. ibi: Non utique quodlibet quam levissimum efficere, ut morbosus, vitiosusve habeatur: Proinde levis febricula, aut verus quartana, quae tamen jam sperni potest, vel vulnusculum modicum, nullum habet in se delictum; contemni enim haec poterunt. Concordat L. L. immediate sequentes. Ratio est: tum quia communi ementium & vendentium consensu, modica hujusmodi vitia licite abscondi possunt: tum quia alias mercatores magnum fortunae discrimen subire deberent, cum forte emptores; ut ait D. Thomas lo. cit. propter vitium hujusmodi vellent plus subtrahi de pretio, quam esset subtrahendum, vel, saepe non emerent, mercibus apud mercatores sine lucro remanentibus, vel cum damno eorumdem pereuntibus.

181 Resp. VI. Si vitium occultum est in quantitate, puta in pondere, mensura &c. ut si putat emptor, pannum v. g. novem ulnarum continere 10. ulnas, tenetur venditor illud vel manifestare, vel juxta proportionem defectus, pretium minuere. Communis & certa; quia alias aperta committeretur fraus, & injustitia; nec servaretur aequalitas à justitia commutativa requisita, fieretque contra illud Pauli 1. ad Thes. 4. Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum; videtur est Dominus de his omnibus. Concordat textus supra n. 131. citati.

182 Limitant tamen Conclusionem DD. communiter, praesertim Molina Disp. 353. in fine Layman Tract. 4. c. 17. n. 15. Lugo Disp. 25. n. 125. Palao lo. cit. pun. 22. n. 5. Gibal. de Negot. hum. lib. 4. c. 4. a. 7. Vega, Medina, Sylvester, & alii in casu, quo vel pretium à superioribus injustè est taxatum; vel emptores iniquè conveniunt, quod non nisi certò, minus justo pretio vulgari merces emere velint; tunc enim licitè & validè poterunt venditores non tantum abscondere ac dissimulare occultum quantitatis vitium, sed etiam postquam res jam est empti, plà fraude in pondere vel mensura tantum detrahare, quantum ad complendum justum rei pretium exigitur: prout supra jam diximus n. 137. Ratio praeter ibidem allegatam est. Tum quia nulli sit injuria, cum uti supponitur, servetur aequalitas inter mercem & pretium. Tum quia venditores non tenentur cum iniusto suo damno vendere, vel deserere sua officia Republicae necessaria.

183 Nec obstat, quod obijci posset, consensum ac intentionem emptoris esse 10. v. g. & non tantum 9. convento pretio emere: Nam hoc ipso, quod vellet emptor 10. emere, vult etiam emere 9. utpote in illis inclusas, sicque quoad 9. ulnas emptio pro proportionato pretio erit valida. Quod autem decimam ulnam venditor non addat, vel demat, justè conquiret, vel invidiosè non potest emptor; quia pro illa nullum dedit pretium, cum, uti rursus supponitur, pretium, quod pro 10. obtulit, tantum sit justum & proportionatum pro novem, quo supposito per occultam compensationem, ut se indemnem ter-

vet, & contractum justum aequalemque efficiat, unam ulnam detrahare utique poterit; ita sapienter dicitur Lugo Disp. 26. sed. 8. n. 25.

Monet tamen rectè Molina Disp. 353. cum aliis 184 Confessarios, ut conquerentibus poenitentibus similes, in se quidem pius, fraudes indistinctè & inconsideratè non admittant, sed prius circumstantias benè examinent, usque satis consideratis, adhuc conscientias poenitentium onerent, ne plus in pondere & mensura detrahant, quam ad justum pretium complendum sit necessarium. In dubio autem justè pretii à similibus Fraudibus eos omnino cohibeant, prout etiam jam notavimus n. 139.

De quarto vitii vel defectus genere proveniente 185 ex mixtura mercium, dum bonae minus bona, vel alia materia admiscetur, sufficienter jam diximus supra n. 128. ubi videndum.

Queritur II. An, & quantum restituere teneatur, qui merces vitio affectas vendit? Resp. I. Quodcumque venditor occultum rei vitium scienter abscondit, vel non manifestat, quod manifestare juxta dicta tenetur, peccat contra justitiam, & obligatur ad restitutionem, compendandamque omne illud damnum, quod propterea emptori & aliis emergit. D. Thomas 2. 2. q. 77. a. 3. Molina Disp. 303. n. 2. cum communi, & certa aliorum. Textus expressus & in l. Julianus 13. in princip. ff. de Actionibus empti. ibi: Qui pecus-vitiosam vendidit, si quidem ignorans fecit, id tantum ex empto actione praestaturum, quantum minori esset empturus, si ita esse scivisset: si vero sciens retinuit, & emptorem deceptum, omnia detrimenta, quae ex ea actione emptor traxerit, praestaturum ei: si vero igitur aedes vitio tigni corruperunt aedium aedificationem, si ve pecora contagione mortifera pecoris perierunt, quod intersuit, idone venisse, erit praestandum. Idem qui iurem vendidit, aut fugitivum &c. Concordat L. 1. C. de Edili. action. Ratio est, quia quicumque rem alienam injustè detinet, vel alterum injustè damnificat, uti in casu conclusionis res se habet, ad restitutionem tenetur, per Jura vulgaria; ergo. Dicitur autem notanter, si scienter. Nam

Resp. II. Si venditor vitium rei ignoravit, non tenetur ad compensanda ulla damna emptori, vel alia inde secuta, sed tantum restituendum id, quantum minoris rem emisit emptor, si vitium cognovisset. Nisi forsitan pretium rei jam praescripserit, vel bona fide consumpserit, ditior inde non factus. Molina lo. cit. n. 8. Frideric. h. 2. n. 526. Sylvester, Navarrus, Panormitanus, Covarruvias, Conradus, Lessius, Lugo, cum communi & certa aliorum, ob clarissimum Juris dispositionem allegatam praecedenti num. ex J. Julianus. 13. ff. de Action. empti. Ratio est; quia non fuit causa voluntaria illorum damnorum.

Imo, si venditor revera ignorans occultum rei vitium, tempore contractus expressè paciscatur, & dicat, se tanti vendere & non aliter, nec velle teneri ratione alicujus occulti vitii, si quod forsitan inesset, & postea pateferet? neque ad id, quantum minoris, vitio cognito res fuisset empti, restituendum tenebitur. Molina lo. cit. n. 16. Frideric. lo. cit. & communis aliorum, arg. l. Quaro. 39. ff. de Action. empti. Ratio est; quia hoc ipso, quod emptor, voluntarie, & scienter in se periculum suscipit, periculi eventum sustinere debet: praesertim cum scienti & consentienti non fiat injuria, neque dolus, Reg. 27. Jur. in 6.

Secus foret, si venditor sciret & taceret occultum rei vitium; teneretur enim in utroque foro ad omnia damna, non obstante, quod tempore contractus dixerit, se nolle teneri de occultis vitii, eo quod haec cautela solummodo ignoranti, non item scienti occultum rei vitium patrocinetur, cit. l. Quaro. 39. ff. de Action. empti. ibi: Haec exceptio non ad ea pertinere

nerere debet, quae venditor novit, -- sed ad ea, quae ignoravit, & de quibus emptorem certiorare nequivit. Nec juvat venditorem, etiam unum vitium tacendo, alia detegat, vel in genere dicat: vendi tibi hunc equum claudum, ferocem, & omnia alia vitia habentem; eo quod generica manifestatio vitiorum neutiquam sufficiat, si venditor sciat occultum notabile vitium in specie, prout benè observat Abbas in c. Injustum. de Rerum permut. Navarrus c. 23. n. 89. Molina lo. cit. n. 16. cum communi aliorum.

Queritur III. Quid Juris, si venditor rei propriae substantiam, vel qualitates ignorans, unam pro alia, bonam pro mala, gemmam pro vitro &c. vendat? Resp. in hoc casu teneri emptorem saltem in foro conscientiae augere pretium usque ad limites justè saltem infirmi, non tantum, quando statim ab initio cognoscit errorem venditoris, sed etiam, quando & ipse in pari versatur errore? dummodo sciat, antequam eandem legitime praescribat, vel bona fide consumat, ditior inde non factus. D. Thomas lo. cit. a. 2. Conrad. de Contract. q. 54. Molina Disp. 353. n. 10. Sylvester, Navarrus, & DD. communiter, arg. l. In venditionibus. de Contract. Empti. Ratio est; quia emptor non minus tenetur servare aequitatem & justitiam commutativam in contractu, quam venditor; ergo sicut venditor non potest plus accipere, quam justum pretium efficit, ita emptor non potest minus dare, quam limites pretii justè exigunt.

191 Nec satisfacit conscientiae emptor, si rem benè cognoscens at, v. g. bone amice, volo emere, & esse sine scrupulo, maneretque tutus in conscientia; hinc dico tibi; considera rem benè, & resolve te, an velis mihi eam pretio jam oblato vendere, sinulque liberè condonare, si forsitan res plus valeret; quia ut contra Cajetanum §. Emptio. n. 2. benè advertit Molina lo. cit. n. 11. Lugo Disp. 26. n. 137. Palautus, Ledesma, Bannes, & alii, haec condonatio, ob ignorantiam venditoris non habet tantum voluntarium, quantum ad validam condonationem requiritur; plane enim non condonaret, si, uti emptor, rei pretium benè intelligeret.

192 Aliud foret, si tam emens, quam venditor mercis qualitates, & verum pretium ignorantes communi periculo se exponeret paciscendo, si ve plus, si ve minus valeat, nullum amplius ad quidquam teneri: hoc enim in casu, ob periculum, cui uterque se exponit, tutus erit quisvis in conscientia; nisi forsitan unus, emptor v. g. sagax, venditor rudis esset, emptorque vile praebendo pretium, prope nulli periculo se exponeret, cum verisimilitudine ingentis lucri; econtra venditor ob ruditatem suam subiret periculum summi lucri; vel econtra: tunc siquidem notabiliter minus periculum patiens, saltem in foro interno tantum restituere tenetur, quantum spes majoris lucri, iudicio prudentis viri valet; prout citati DD. benè advertunt. Ratio est; quia, ut consideranti patet, revera in simili contractu frus aliqua cum gravi alterius praedicio Intercedit: Fraus autem & dolus alicui patrocinari non debet, c. Ex tenore. 16. de Rescripti. ergo.

193 Illud meritò ut certum supponat Lessius cap. 21. n. 85. Lugo lo. cit. & alii, quævis licitè emere posse quavis mercem in uno loco, eo pretio, quod ibidem etiam à peritis communiter aestimatur justum v. g. 100. etii probe sciat, quod in alia Regione eadem res 1000. Florenis, vel pluris communiter aestimatur, facillique negotio vendi queat; quia justum in quovis loco pretium rerum est, quod ibidem ut tale communiter aestimatur, arg. l. Pretia rerum. ff. ad Leg. Falcid. etii alibi pluris, vel minoris res eadem aestimatur; ut proin justè fructus industriae, vel fortunae reputentur, qui inde colliguntur, quod merces in una Re-

gione vili, justo tamen ibidem pretio emptæ, in alia maximo, pariter tenentur ibi justè pretio distrahantur.

Queritur IV. An quis fundum, agrum, domum, 194 vel aliud terræ spatium, ubi ingentem sevit latere thesaurum, vel venam metalli, lapidicinas &c. validè ac licitè emere possit, absque hoc, quod se super moneat venditorem, vel saltem pretium augeat? Resp. Affirmative. Molina lo. cit. n. 12. Lugo Disp. 26. n. 138. Cardinalis Luca h. r. discurs. 44. per totum, ubi assert decissionem Rotæ, Scotus, & alii, arg. l. In lege fundi. 77. ff. de Contract. Empti. ubi in specie de lapidicinis pro nostra conclusionem habetur textus, quod si non appareat, non videri lapidicinas esse exceptas: neminem enim, nec vendere, nec excipere, quod non sit, & lapidicinas nullas esse, nisi quae appareant. Confirmatur ex illo Math. 13. Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, vadit, & vendit omnia, quae habet, & emit agrum illum. Ratio est; quia recepto jure habentium, communiter etiam talis ager justè censetur emptus, qui emitur justo pretio; communis autem aestimatio justum reddit pretium, iuxta dicta; ergo.

Queritur V. An dolosè & iniquè, an vero licite 195 agat, qui rem currente pretio juxta emit, vel vendit, si sevit, pretium paulo post minuendum fore vel augendum? Non desunt DD. satis graves, ut Medina de Restit. q. 35. Conrad. de Contract. q. 62. 63. & 67. Portel in l. Quaro. ff. de Action. empti. & alii dicentes, talem dolosè & injuste agere, proindeque ad restitutionem teneri. Idem tenet Glossa in l. Contra legem. ff. de Legibus. Cicero quoque Ethnicus lib. 3. offic. iudicavit, ita vendere vel emere, non esse boni, ac honesti viri.

Fundamentum eorum praecipuum hoc est, quod 196 alter, cum quo quis ita contrahit, censetur involuntarius quoad hunc contractum; cum certum videatur, quod venditor currente pretio v. g. 10. florenis non venderet frumentum, si sciret post aliquos dies pretium illius commune ac justum 20. vel 30. florenis fore. Et econtra certum pariter videatur, quod nullus de praesenti emeret 30. florenis unam frumenti mensuram, quam 6. vel 8. florenis post unum alterumve diem haberi posse, certò sciret. Ubi autem deest voluntas & contentus contrahendi, nullus est contractus, l. In Venditionibus. ff. de Contract. Empti. ergo.

Resp. I. Nullam injustitiam, nec dolum injustum 197 committit, nullamque ad restitutionem tenetur, quicumque currente justo pretio emit, vel vendit, etii privati scientià certò sciat, pretium intra paucos dies notabilissimè in duplo v. g. vel triplo augendum fore, vel minuendum. Ita D. Thomas 2. 2. q. 77. a. 8. ad 4. Covarruvias in Regul. Peccatum p. 2. §. 4. n. 6. Sylvester §. Emptio. q. 15. n. 16. Lessius lib. 2. c. 21. dub. 5. per totum, Palao de Justit. commutat. Disp. 5. pun. 15. n. 3. cum communiori & probabiliori aliorum. Probatur ex illo Genesis 41. ubi Joseph vir utique justissimus justo currente pretio coemit maximam frumenti copiam, non obstante, quod certò sciverit, & praeviderit futuram sterilitatem, indeque subsecuturum pretii augmentum, & tamen propterea à nemine arguitur alicujus injustitiae. Quod si autem emptor sciens, brevi futuro augmentum pretii, potest absque justitiae detrimento emere merces currente pretio, non appareat, quare econtra non possit venditor currente pretio vendere merces, quarum pretium brevi minuendum pariter cognoscit.

Probatur Conclusio etiam ratione de utroque, 198 tam emente, scilicet quàm vendente. Quodcumque quis vendit, emitque taxato vel vulgari justo pretio, justè emit, nullique ullam facit injuriam;